B. N. C.
FIRENZE
1037
8

DISSERTATIO MORALIS
DE
INVITO PER VIOLENTIAM,

Quam

BONO CUM DEO

SUB PRÆSIDIO

DN. BENEDICTI HOPFFERI,

Philos. Moral. Prof. Publ. Famigeratiſſimi, & Stipendii Ducalis EPHORI Dignisſimi,

Dn. Patroni & Præceptoris Sui obſequioſisſimè Devenerandi,

Ventilandam ſiſtit

JOHANN-ULRICUS FESENBECCIUS, Tubing. Phil. Cand. in Ill. Stip.

Die *Maij,*

IN AUDITORIO PHILOSOPH. ÆSTIVO, *Horis Antemeridianis.*

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M DC LXXXIII.

1872

1037. 8

VIRIS.

Virtutum Excellentiâ, Officiorum Amplitudine, Meritorumq; Pondere

Per-quàm EMINENTIBUS,

DN. JOHANNI GRAVIO, U.J.D.

Juris Canonici ac Praxeos, laudatæque Facultatis Profeſſori Seniori Celeberrimo, & Sereniſſimi Wirtemb. DUCIS Conſiliario Dexterrimo,

DN. JOH. JACOBO DEMOND,

J. U. D. Sereniſs. Wirtemb. DUCIS Conſiliario in Supero Juſtitiæ Conſeſſu Graviſſimo, Dicaſterii item Aulici, quod Tubingæ eſt, Aſſeſſori longè Meritiſſimo.

Dnn. Mecœnatibus & Patronis ſuis ſummo Reverentiæ tenore ſuſpiciendis, omnique animi ſubmiſſione ætatem proſequendis,

Huncce Fœtum ſtudiorum ſuorum ſecundum

In debitæ obſervantiæ ὑπόμνημα, debiti cultus τεκμήριον, & gratiſſimæ mentis σφραγῖδα, dedicatum ac conſecratum voluit

RESPONDENS.

1037.8

Thesis I.

De Invito num pertineat ad Ethicum agere, haud levis eſt dubitandi ratio, quod ex hujusmodi actione homo nec bonus, nec malus judicatur, nec plus illa Moralitatis cõtinet, quàm animæ vegetantis in nutriendo vel augendo humano corpore operationes. Videmus interim & ab Ariſtotele, cæterisque qui ſyſtemata Ethica conſcripſerunt, rationem illius habitam fuiſſe. Et Philoſophus quidem cur de eo tractaverit; ſequentibus oſtendit: *Cùm virtus in perturbationibus & actionibus verſetur, cumq́; in iis rebus, quas ſponte ſuſcipimus, laudes & vituperationes locum habeant: iis autem, quas inviti facimus, venia atq́; interdum etiam miſericordia tribuatur: Neceſſe eſt fortaſſe iis, qui virtutis vim naturamq́; quærunt, id quod ſponte, & id quod invitè fit, definire ac diſtinguere. Atque hæc Oratio Latoribus Legum quoque, tùm ad honores benè meritis de Republica decernendos, tùm ad ſupplicia in improbos conſtituenda utilis eſt futura.* Nimirum cùm ea maximè laudabilis ſit actio, quæ nihil habet Inviti, ipſaque Virtus conſiſtat in mediocritate προαιρετικῇ, quæ προαίρεσις ut perfecta ſit, vim omnem debet excludere; neceſſum utique eſt Inviti naturam quoque, ut de προαιρετικῷ rectius ſentias, perſpectam habere. Idque pariter Judicum & Legislatorum intereſt ſcire; non enim exquiſita præmia vel honores meruerit civis ille, cujus facta quantumlibet ſpecioſa, ex Invito aliquid admixtum habuerunt. Quemadmodum iniquum contrà eſſet, eum, qui Invitus alteri damnum intuliſſet, ad pœnas condemnare. Potiſſimùm autem Inviti mentione viam ſibi ſternere voluit Ariſtoteles, ad uberiorem de mixtis actionibus diſſertationem ſtatim ſubjectam, quibus nihil frequentius, quarumque natura & differentia, non cognito Invito, ſatis accuratè haud intelligi poteſt.

Eth. Nicom. 3.

II.

Patet interim ex his, nec ad mentem Ariſtotelis, nec ipſi convenientem veritati quorundam ſententiam eſſe, qui Invito locum faciunt inter principia Actionum humanarum. Quod quidem ab Hornejo aliisque factum, quinque enumerantibus Actionum humanarum principia: Spontaneum, Invitum, Electionem, Conſultationem & Voluntatem. Cujus numeri ordinisque Authorem adducunt Ariſtotelem. Sed errorem dudum perſtrinxit H.
Phil. Mor. Diſſ. 10. Jul. Scheurlius, qui oſtendit eos inconſideratius loqui. Nam cum vis voluntati contrarietur, & libertatem tollat, hacque deficiente moralitas quoque ceſſet, tantum abeſt, ut Invitum principium actionis moralis ſit habendum, ut principii potius dicat privationem. Quæ autem occaſio fuerit hanc Ariſtotelis de
In Tabb. Ph. Pract. principiis doctrinam pervertendi, Cl. Thomaſius annotavit. Exulat igitur à principiis Invitum, & non aliâ, quàm prædicta Ratione, locum nanciſcitur in Morali Philoſophia.

III.

Cùm autem Violentiæ vox non eodem modo ſemper accipiatur, primùm ab ambiguitate liberanda venit. Nam & violenti dicuntur turbines, venti ac tempeſtates, homines item furioſi & vehementes, quæ notio hùc non pertinet. Nec Actiones mixtæ ſeu Invitum ſecundum Quid, quod à quibusdam ſub generali conceptu Inviſi comprehenditur, noſtræ conſiderationis eſt. Pro-
l. cit. priè autem ſic dictum Invitum per Violentiam ab *Ariſtotele* definitur: *Cujus principium foris eſt, & tale quidem, ut nihil ad id conferat is, qui agit, aut patitur.* Huic autem Violento plerumque æquipollet vox Coactionis, & *Ariſtoteles* non τὸ *βίαιον* ſaltem adhibet, ſed etiam τὸ *ἀναγκαῖον* ſeu neceſſarium, quod etſi latius pateat, competatque etiam agentibus naturalibus, ut calefactioni ignis; ſæpè tamen ſtrictè Neceſſitationem denotat, ſeu Neceſſitatem extrinſecus impoſitam.

IV.

Cæterùm in allata Definitione 1. Conſiderandum nobis eſt, quid *Externi* principii nomine intelligatur, nempe Cauſa Externa, quæ cùm duplex ſit Efficiens & Finalis, poſteriorem huc referri non poſſe, ſatis ex ſeqq. apparebit. Neque quæ jubentibus

aut

aut conſulentibus aliis à nobis ſuſcipiuntur, violentis accenſeri convenit; cùm ea potius ab Externa cauſa Impulſiva, quàm Compulſiva proficiſcantur. Externum quoque hic non capiendum eſt, prout localiter exiſtit extra Subjectum, cui vis infertur; quo ſenſu aliàs Bonis Corporis, quæ ſunt Interna, Bona Fortunæ tanquam Externa opponuntur: ſed ſufficit ſi hominis appetitui ſeu voluntati contradiſtinguatur, ut quæ Ariſtoteli ſtrictè notat principium Internum. Undè quandoque Diabolus etiam licèt intra hominem exiſtat, vel morbus aliquis violentam hominis actionem producere valet.

V.

Arctioribus autem adhuc terminis circumſcribunt Violentiæ naturam poſteriora Definitionis verba: *Nihil prorſus conferente eo, cui vis eſt illata.* Quibus illud primùm innuitur, externo membrorum motu nihil eum promovere, qui Violentiam patitur. Nam cùm ad ſenſitivam Hominis facultatem pertineat etiam locomotiva, eique voluntas δεσποτικῶς imperet, ſanè facilimum homini fuerit, ſi vis aliqua extrinſecus ingruat, & majora mala minetur, in actum illam deducere; vel motum inchoativè ab alio impreſſum locomotiva ſua juvare vel continuare. Qua ratione jam aliquid conferri dicetur. Deinde removetur his verbis omnis etiam Complacentia, vel Conſenſus tacitus in ejusmodi actionem, uti notatum inter alios ab Hornejo: *Nota cùm ſponte quid fieri dicatur, non tantùm ratione principii activi, ſed etiam paſſivi, ut paulò ante monuimus, utrumque hic excludi, quando dicitur, eum cui vis fit, nihil conferre ad id quod fit: intelligi enim id ita debet, ut nec una agendo is adjuvet rem illam, nec voluntatem patiendi afferat.* Vel ut alii loquuntur τὸ Nihil conferre non negativè ſaltim, ſed & contrariè accipiendum eſſe; nimirum ut actio non ſolùm non prodeat ex illo, qui agere dicitur, ſed etiam ſit contra inclinationem illius. Unde ſi quis ab alio volens deportetur, externum quidem erit principium, nec quicquam proprio membrorum motu contribuitur, non tamen vi factum habetur. Hinc eſt, quod Philoſophus alibi hoc expreſsè monet: *Principium quod foris eſt præter naturalem impetum, ſive moveat, ſive motum impediat, Neceſſitatem vocamus,*

Eth. l. 3. c. 4. n. 11.

Eth. Eud. 2. 8.

ut ſi quis manu & Voluntate & Cupiditate renitentis arreptâ percutiat alium. Eoque collimat, quod Invitè agentem dolore
Eudem. 2. 7. & 8. Nic. 3. i. affici ſcribit, ut patet ex ſequentibus verbis: *Si violentum ſit, etiam acerbum erit, omne ſc. quod coacti faciunt aut patiuntur, quemadmodum Evenus inquit: Omnem rem neceſſariam moleſtam eſſe.* Quod ex Phyſicis hunc in modum declarat *Hornejus: Quare ſicut violentum illud propriè eſt in phyſicis, quando patiens immutatur ab agente contra naturam ſuam (nam aliâs omnes alterationes & generationes, præſertim corporum ſimplicium eſſent Violentæ,) ita etiam Violentum propriè in homine eſt, non cujus Principium ſimpliciter extrinſecum eſt, ſed ita, ut res illa ſit contra animi noſtri inclinationem.*

V I.

Quod verò dictum eſt, qui per Violentiam agit vel patitur, non negativè tantùm (i. e. nihil principaliter agendo) ſed & contrariè ſe habere, hunc porrò ſenſum admittit, ut aliquis non voluntate ſolùm renitatur, ſed corporis quoque membris, idque quoad extremum virium robur. Seu, quemadmodum eloquuntur alii; ut impetus ille Voluntatis, contra quem eſt violentum, non ſit inefficax, ſed vera potius & efficax nolitio. Manifeſtum quoque hoc eſt ex *Ariſtotelis* exemplis, cùm adductæ ſuperius Definitioni ſtatim ſubjungit: *Ut ſi quo ventus detulerit, aut ii homines, quorum ſub poteſtate ſumus.* Quis enim eſt, qui vehementi ventorum flatu impulſus, non omni conatu repugnet, ne in terram prolabatur, vel inſtar pilæ huc illuc circumagatur. Quoad alterum tamen exemplum dubium eſt, quomodo juxta vulgarem Interpretum explicationem hûc quadret, quibus ἄνθρωποι κύριοι ὄντες, homines, quorum in poteſtate ſeu ditione ſumus, intelliguntur; ut Magiſtratus, Pater, Dominus. At illi ſæpè tàm validi non ſunt, qui nos cogant. Rectius itaque *Giphanius* κύριον interpretatur valentem, ut intelligantur hæc verba de quolibet homine, qui me ſit valentior, & vel invitum abripere aliquò poſſit, viribus ſcilicet potior; idque indicare verbum κυρίων, quod hîc iterandum, ut quo non Ditio, Imperium aut Poteſtas, ſed Vires ſignificentur.

in Coment. p. 154.

V I I.

VII.

Sed utrum illa renitentia Voluntatis, quam modò diximus, actualiter ſemper habere ſe debeat, eo tempore, quando vis infertur, in quæſtione eſt? ſanè Scholaſticorum huc tendit effatum, violentum eſſe contra voluntatis actum elicitum. Sed cùm non actualiter tantùm, verùm & habitualiter aliquid velle poſſimus, exiſtimant alii, non requiri ad Violentum, ut eodem tempore detur actus voluntatis elicitus, repugnans rei, ſed ſatis eſſe, quòd Voluntas repugnatura eſſet huic actui, ſi circa ipſum verſaretur, ejusque naturam & qualitatem actu perciperet. Si dicendum, quod res eſt, videtur talis actus non ad Invitum per Violentiam, ſed per Ignorantiam pertinere. Ponamus enim Virum aliquem honeſtum vi deferri in aliquod lupanar, quod ipſe tamen non ægrè ferat, quia non cognoſcit locum illum eſſe lupanar; repugnaturum autem eſſe, ſi infamiam loci, quo trahitur, cognitam haberet. Talem dicemus invitum eò perductum, non per ſimplicem violentiam, quia non concipit inde dolorem, ſed per Ignorantiam, quæ removet illam ſcientiam, quâ poſitâ ſummâ cum diſplicentiâ tale quid paſſurus fuiſſet, niſi fortè mixturam utriusque Inviti hoc in caſu quis agnoſcere velit.

VIII.

Reſiſtentiam autem corporis, quam in agente per Violentiam requiri notavimus, ſic interpretari fas eſt; ut cum probabili ſpe conjuncta ſit, ſiſtendæ vel repellendæ incumbentis vis. Nam ſi manifeſtum ſit, nos eâ reluctantiâ nihil effecturos, ſed adverſario ſic magis irritato graviora mala nobis accituros eſſe, licebit hac renitentia ſuperſedere: nec minus tamen actio vel paſſio perfectè violenti rationem habebit. Si enim v. gr. contingat alicui puellæ ſtuprum inferri, ubi nihil eorum deſit, quæ ad Violentum requiruntur: Principium ſit extra patientem: locomotiva ſua nihil adjuvet factum: Voluntate penitus refragetur: deſperet tamen ſe viribus ſuis, ut imbellis eſt ille ſexus, robuſti aggreſſoris, vel plurium vim repulſuram, adeòque extremo conatu non reluctetur, ſtuprum ejusmodi nihilominus plenè ac perfectè violentum exiſtimandum erit. Secus autem evenit, ut diximus, ſi ſperari potuit aliquis reſiſtentiæ fructus, tunc enim ejus omiſſio detra-

detrahit de Invito. Cæterùm ad hunc externum repugnantiæ conatum in judiciis tàm accuratè reſpicitur, ut ex præſumto etiam factum aliquod Invitum habeatur, adeòque vim paſſo nihil imputetur; Et vice verſa, ut patet ex lege divinâ Forenſi, ubi puella deſponſata, quæ compreſſa fuit in agro, rea non habetur: non enim conſenſiſſe in ſcelus, ſed invita ſuccubuiſſe præſumitur, nec quicquam ſc. adhibitis evaſionis mediis, &, quo præ cæteris hic ſexus armatur, clamore. Contra cui in urbe pudicitia fuit erepta, Violentiæ prætextus non conceditur, ob defectum renitentiæ per clamorem, quo concurſum ciere potuit & debuit. Hoc tamen intelligendum eſt, non quod ex hoc ſolo definienda ſit controverſia, ſed cæteris paribus. Poteſt enim & in urbe aliquâ vim pati occluſo ore, & in agro aliqua conſentire in ſtuprum, ut verba habent *Philonis* à *Grotio* recitata.

Deut. 22. vſ. 24. 27.

De Jur. B. & P. 2. l. 12. in not.

IX.

Quibus ita diſcuſſis paulò clariorem Ariſtotelicâ Definitionem hujus Inviti putamus exſtrui poſſe: *Coactum ſtrictè dicitur, ad quod ab extrinſeco principio validiore quis adigitur membra ſua applicare, vel actum intentum non perficere, ita ut averſationem ac diſſenſum ſuum ſignis, & præcipuè reluctantia ſeu renitentia corporali oſtendat.* Cujus potiorem partem etiam *Pufendorfio* placuiſſe videmus.

de Jur. Nat. & G. p. 58.

X.

Nunc Diviſiones aliquot ſubjungere non abs re erit. 1. Igitur Invitum exerit ſe vel in *Actione* vel in *Paſſione*. Quamvis enim ob vim impreſſam ſemper adſit Paſſio, ratione tamen ſuccedanei motus in coacto hoc eſt intelligendum. Illud fit, quando potentia materialis v. gr. locomotiva aut membrum aliquod cogitur ad agendum. Ut quando aliquis vi arripit alterius corpus aut membrum ad inſtrumentariam operam, quemadmodum olim Chriſtianorum manus admovebantur ad adolendum Thus Gentium Diis. Aut, quando quis in faſtigio montis alicujus aut collis declivis ab altero impulſus curſu deorſum fertur, ubi locomotiva agit, ſed ob motum prius à cogente effectum. Invitum *paſſionis* eſt, quando corpus ſolùm violenter patitur, recipitque moleſtiam ex poſitivo alterius influxu, ut verberibus, vulneratione,

tione, cruciatu. Quandoque verò poſitivus Influxus deficit, cum acturo ponitur impedimentum, quod ipſi vel moram injicit, vel prorſus actionem tollit; quæ nonnullis dicitur Coactio negativa.

X I.

Deinde ſicut Voluntarium aliquid eſt *vel in ſe*, ac pro illo tempore, quando fit actus, *vel in ſua cauſa, vel utrinq;*; ſic pariter hoc in Violentia diſcrimen occurrit. Prioris Exemplum conſpicitur in eo, qui conſultò alteri venenum propinat, mox autem pœnitentiâ ductus revocat Voluntatem, omnique ſtudio noxam hinc prodeuntem tollere ſatagit. Mors inſecuta tùm temporis, quando ſequitur, venefico maximè Invito contingit, ſed non in ſua cauſa & ratione prioris concurſus. Hûc ſuo modo quadrat exemplum ſtupratæ Dinæ, Genes. 43. cap. quæ tùm in tali ſtatu verſabatur, ut vim illatam repellere nequiverit; in culpa tamen fuit, ut in iſtum ſtatum perveniret, debebat enim virgo inter ignotos in terrâ peregrinâ non exſpatiari. Quò referendum dictum illud *Ciceronis* (libr. 2. ad Herenn.) *primùm conſiderandum eſt, utrum per culpam ventum ſit in neceſſitudinem? num culpam veniendi neceſſitudo fecerit? deinde quærendum eſt, & quomodo vis illa vitari potuerit ac levari? deinde is, qui Neceſſitudinem Cauſam conferet, expertusne ſit, quid contra facere ac excogitare poſſet? deinde ſi maximè Neceſſitudo quædam fuerit, conveniatne eam ſatis idoneam putare?* Invitum non in ſe, ſed in ſua cauſa habebitur, ſi quis conjiciatur in flumen, eo fine, ut ſubmerſus pereat. Hic ſi primò coactus ſubiit hanc projectionem, poſteà tamen licèt natando ſe morti eripere poſſit, ſtatuat mori, qualis caſus non eſt extra exemplum, mortem in ſe non Invitus pateretur. *Coactum* autem *in ſe & in ſua cauſa ſimul* eſt, quando aliquis ſecundum totum progreſſum contranititur, nec in culpa fuit, ut in talem incideret ſtatum, quo per vim ad aliquid cogi poſſet. In culpa autem non fuiſſe rectè ſic interpretatur *Puffendorfius*, ſi quicquam præter officii aut prudentiæ Leges non ſuſcepit. Nam ſi quis munere ſibi injuncto fungitur, vel aliàs jure ſuo utitur, nec temerè aut inconſultò quid agit, ei, ſi vel maximè vis ingruat, nihil poterit imputari. *l. cit.*

X I I.

Ex his ergò patet, quòd ſub initium attigimus, actiones, quibus omnia competunt violenti requiſita, idque tùm in principio, tùm in reliquo progreſſu, moralitate ſuâ penitus ſpoliari; adeòque & vituperium hîc & omnem denique pœnam ceſſare. Quare nec modum illum loquendi Ariſtotelicum, ſi ſtrictè ſumantur termini, ſatis accuratum arbitramur, cùm actiones violentas excuſationem, miſericordiam & veniam mereri ſcribit. Nam ubi peccatum eſt, ſed ex imminutâ προαιρέσει: ad ſalvandam parentum aut liberorum vitam; ab eo, qui vixit aliâs inculpatè, multisque in Rempublicam meritis eminet: in materia leviori &c. non ceſſat quidem ratio peccati, ſed veniâ tamen dignos tales judicamus. Secus, ubi peccatum omninò exulat. Unde judicium fieri poteſt de Iniquitate illius petiti, cùm aliquando caſu tegularii ex tecto delapſi homo præteriens occiſus fuiſſet; cujus uxor, ut vindicta de tegulario ſumeretur, judicem imploravit. Nam Invitum decidiſſe vel illud indicio eſt, quod nemo aliâs, licèt in exitium inimici ſummè propenſus, ſpontè hunc eligat ejus opprimendi modum. Unde quamvis accuſatus ſe obtulerit, ſe iterum præteriturum deciſuro alio, injuſtè tamen ad hanc talionis pœnam damnatus fuiſſet: ut qui ſecundâ vice mortis periculum citrà omnem culpam ſubire debuiſſet.

X I I I.

Non poſſumus quin obiter hîc tangamus dogma quoddam Moraliſtarum, *Sancbezii, Azorii, Salas, Villalobos*, eosque ſecuti *Caſtro-palao*, hunc in modum ſcribentis: *Certum eſſe debet, retractatâ per pœnitentiam priori voluntate, effectum ſecutum naturaliter ex cauſa prius liberè appoſitâ, non eſſe imputandum culpæ. Ratio eſt, quia cauſa tunc appoſita Voluntaria non eſt, cùm jam ſit revocata. Ergò licet effectus oriatur ex cauſâ appoſitâ, non oritur ex illâ, tanquam ex cauſa voluntariâ, ac proinde voluntarius non eſt. Exemplo rem declaro. Dediſti mandatum alicui, ut nomine tuo matrimoniũ contraberet, pœnitet mandati, illudque revocas, at intimare non potes mandatario revocationem; ſed potius ille virtute prioris mandati contractum celebrat. Ille contractus, etſi à cauſa Voluntaria ortum babuerit,*

Op. Moral. part. 1. f. 44.

tibi

ſibi Voluntarius non eſt. Hoc nimirum ipſiſſimum eſt Exemplum ejus, quod ſupra diximus, aliquid nonnunquam Invitum eſſe in ſe, ſed Voluntarium in ſua cauſa. Sed verò rationem peccati hìc ceſſare, nec effectum culpæ imputandum eſſe, nunquam concedemus. Quamvis enim aliquid minuat de Voluntario, & conſequenter de peccato, ſi quem agitati facinoris pœniteat, licèt effectum amplius impedire non poſſit: ad minimum enim ejus Voluntas in propoſito tàm diu non perſtitit, quàm ſi facinus intendat ad ipſum usque effectum; nihilominus tamen peccat, & non obſtante hac retractatione Voluntatis, ob ſecutum perniciosum effectum punitur. Et quis dubitet, vel ipsâ docente communi judiciorum praxi, aliquem, qui ſagittam emiſerit, aut venenum alteri propinaverit, ſi poſt emiſſam ſagittam aut exhibitum venenum pœnitentiâ ducatur, verèque nolit ſequi effectum, eo tamen ſecuto Voluntariam cauſam habendum, ſicque ut homicidam capite plectendum? Quod injuſtum foret, ſtante dictorum Authorum ſententiâ. Ut igitur illam quæſtionem, an eventus ortus ex cauſa voluntaria, quando revocata non eſt, neque impediri poteſt, cenſendus ſit peccatum, affirmativè reſolvit *Caſtropalao*, ſic etiam hunc decidere debuiſſet. Et quod de priori Caſu inquit: *Affirmo eventum ortum ex cauſa Voluntaria appoſita, etiamſi tunc impediri non poſſit, peccatum eſſe & demeritum.* Ac poſteà: *Peccare quis poteſt denominativè à cauſa, etiamſi pro tunc impediri non poſſit peccatum, ſufficit enim potuiſſe impedire, & non feciſſe;* id pariter ad noſtrum applicare conveniens fuiſſet.

X I V.

Tandem etiam adjicere juvat, quod ab initio fortè monendum erat, Violentiam tantùm ſpectari juxta communem ſententiam in Actionibus, quas vocant, Imperatis, iisque per externa membra productis. *In actiones verò Voluntatis (Durrii* verba *Phil. Mor.* ſunt) *elicitas, cùm ſint Spirituales & Immateriales, nullum agens Diſp. 4. §.* *corporeum vim imprimere directè & immediatè poteſt: Volun- 12.* *tas enim cogi non poteſt.* Ubi non diſcutiemus operoſius, quàm congruè tales loquantur, cùm manus mea ab altero arrepta ad verberandum tertium, actionem edat nullatenus à Voluntate,

 nec

nec ut Eliciente, nec ut Imperante profectum. Sed quod hic negat de agente ſaltim corporeo, alii rectius dilatant, & ſimpliciter aſſerunt, à nullo agente creato vel finito cogi poſſe voluntatem. Unde quæſtionem movent Scholaſtici: Num ergò Deus tanquam agens Infinitum voluntati vim poſſit inferre, ut violenter actum aliquem eliciat? Quidam negant, in quam ſententiam

ap. Stabl. citatur *Greg. de Valentia.* idque ex aſſerto etiam Horneii fluit, vocantis contradictionem in adjecto, coactè aut per vim aliquid velle. Ab aliis contrarium aſſeritur, non quidem dicendo hoc fieri, ſi aliquis actus amoris vel odii, à ſolo Deo effectus, imprimatur voluntati; ſic enim voluntas, quoad nativam inclinationem non patitur violentiam, illum recipiendo, cùm non magis unum quàm alium actum appetat, ſed ut oſtendit *Caſtro-palao*, ſi Voluntas vellet non habere amorem alicujus objecti, & à Deo talis amor infunderetur, amor ille violentus eſſet voluntati, quoad appetitum Elicitum. Qua in re *Stablium* etiam ſibi habent conſentientem, qui præter alios de hac materia omninò videndus. Sunt denique affirmantes, Deum ita poſſe neceſſitare voluntatem ad actus elicitos, producendo illos in voluntate per ſe ſolum, illa merè paſſivè ſe habente, quin & contra priorem inclinationem; negant tamen illos actus dici poſſe violentos. Quæ poſtrema ſententia minimum incommodi habere videtur. Cl. *Thomaſio* prorſus in hac quæſtione viſum eſt ἐπέχειν. Cùm itaque nec ad noſtrum inſtitutum pertineat, ſententiis allatis operoſius diſcutiendis manum admovere ſuperſedemus.

Reg. Philoſ. part. 1. Diſp. 12. R. 1.

in Dilucidd. Stabl. p. 533.

X V.

Supereſſet nunc, ut indagatâ genuinâ violenti naturâ, ſpurias aliquot illius ſpecies in medium produceremus. Cùm nihil frequentius ſit hominibus improbis, quàm ut in excuſationem ſuorum ſcelerum, ad ea patranda ſe coactos cauſentur: obtendentibus quibusdam hujus vel illius affectûs vehementiam: vel temperamenti ſui conſtitutionem: vel Aſtrorum influxum: vel metum à potentiori incuſſum &c. ſed cùm brevitatis ſtudium nobis propoſitum ſit, & ex antedictis facilè dilui poſſent ejusmodi prætextus, finem imponimus Diſſertationi.

SOLI DEO GLORIA.

I.

INviti per vim *dum ſolers excutis actus*,
Spontè, *nec immeritum*, *Te comitatur Honor.*
CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P. El. & Hiſt.
h. t. Decan.

II.

HOc pergas ſtadio, ſic TE miraberis olim,
Jus TIBI & *Invitum* præmia *juſta* dabunt.
JOHANNES GRAFFT, D. & Prof. Philos.

III.

CUm nihil *Invitâ* quicquam dixiſſe Minervâ
Invitum, *Invito* quolibet hoſte, probet;
Te non *Invitâ* palmam meruiſſe Minervâ
Sat, licet *Invito* quolibet hoſte, patet.
Sic applaudit
PRÆSES.

IV.

WAnn der Tugend edler Schatz
Sich kan in den Himmel ſchwingen;
Werd't Ihr g'wiß auch finden Platz /
Und ein guten Sitz erzingen:
Phœbus wird mit ſchönem Lohn
Euch die ſaure Müh' bezahlen;
Dann verdiente Lorbeer-Kron
Soll gar bald das Haupt bemahlen.
So wünſchet treu-meinend ſeinem gl.
Herꝛn Vettern
M. Georg-Friderich Böddecker /
Paſt. in Grünenwetterſpach.

V.

EXplicat Invitum *doctè*, *non Ille Minervâ*
Differit Invitâ; *hinc præmia digna meret!*
MICHAËL Wagner / Præc. Super. Schol. Anat.

V I.

Ihr habt vor kurtzer Zeit dreyfaches Recht gelehret /
Und wird ſchon dieſer Fleiß mit neuem Fleiß vermehret;
So fahr't nun tapffer fort; es wird bald dieſe Prob
Euch frölich bringen her erwünſchtes Siges-Lob.

Diſes wolte zu Ehren ſeinem Herrn Vetter beyſetzen
THEODORUS Engel / löbl. Landſchafft Buchhalter.

V I I.

SÆpè vel *Invitos* decorat ſine Laurea Phœbo:
Ergò vel *Invitis* vi male parta rapis.

Ita Per-Eximio Dn. Reſpondenti benè ominans ſcripſit
M. JOH. CONRADUS Eſſich / Ill. Al.

V I I I.

ΟΥ φρέσσεις δόρυ δυεῖ, σάκος σάκει πεθελυμένῳ
Αὐτὰρ ἔπεσσιν ἔπος, διάφυγε τὸ ἕρκος ὀδόντων,
Καρπαλίμως, καθάπερ πέρ᾽ ὄρυς ψάμαθός τε ὕδωρτε
Κάππεσεν, ἐνδυκέως τε πέλῃ τί ἀκύσιον εἴπεις.
Τοὔνεκ᾽ ἐκροντὶ θεὸν μεγάλοιο ἔχητ᾽ ὀπηδεῖ
Τοῖο θεοῖο πόνον κῦδος, τύνη δὲ ἐπέσκῃ,
Ὥσπερ οἶσ ποίμνας, τὰς τὸν πόδα κάκτος ἔτυψε,
Ἠ᾽δ᾽ ἀέκων δύνεις τιμῆς τὸν ναὸν ἀγαυὸν,
Γράμμασιν ἀλλὰ θεοῖο ἑκὼν τὸ κλέος αὔξεις.

Hæc ſponte
M. LUDOVICUS FRIDERICUS SALOMO, SS. Th. Stud. in Illuſtr. Stipend.

I X.

Sonnet.

E*Tasler ſes vertus, ſon eſprit, ſon merite,*
C'eſt La marque d'un cœur genereux, qui merite

Du

Du monde La Louange, et des plus grands eſprits
Les eloges, L'honneur esloignè du meſpris.

Voſtre grand jugement parroiſt dedans c'eſt acte
Ou vos raiſonnements, voſtre ſageſſe éclatte
Pouſſez jusq'ua la fin ce beau commencement
Dieu verſera ſur vous ſes dons à tout moment.

Par ſon tres-humble & tres-obeyſſant ſerviteur
JEAN-CHRISTOPHEL BRISECHOUS,
e ſtudiant en Theologie.

X.

SIc meritos MERITIS cumulare juvabit Honores,
Et palmas palmis addere, Amice, Tuis.
THEODORUS CELLARIUS, Philos. Cand. in Ill. Stip.

XI.

JUre, *nec* invito *Te ornabit Apolline Laurus*,
Aſſeris invitum *qui benè*, jura *benè*. *Imq.*
HIERONYMUS MAGIRUS, Phil. Cand. in Ill. Stip.

XII.

ܗܟܢ ܐܢܬ ܡܒܪܟܐ ܀
ܒܛܝܒܘܬܐ ܀
ܒܝܘܠܦܢܐ ܀
ܢܕܒܪ ܟܠܗ ܡܫܝܚܝܬܐ ܀

EVOLUTIO.

SIc benedictus eris, cùm ſic Te gratia JOVÆ
In Studiis porrò diriget alma Tuis.

Hæc præſtantiſſimo Dn. Reſpondenti, Amico ſuo ſingulari votiva mente pennaq; appoſuit.
JOHANN-PETRUS Beßler / Stuttgard.
Philos. Cand. in Illuſtr. Stipend.

XIII.

XIII.

DUm tua de *Invito* facit haud *Invita* Minerva
Verba; decus ſerti reddet Apollo Tibi.

JOH. CONRADUS **Rentz** / Phil. Cand. in Ill. Stip.

XIV.

QUam meret ingenium repetito Marte coronam,
Majori meritum cinget honore caput.

Hiſce Amico ſuo Integerrimo
gratulatur
THOMAS **Autenrieth** / Philos. Cand. in Ill. Stip.

XV.

Ἀκριβὲς ἐξαυδῶν Ἀέκον, Μεγάλοιο ἕκητι
Φίλτατ᾽ ἐπεῦρε, θεῦ, πύξεται ἄθλου ἄφαρ,
Καὶ καμάτῳ καμάτῳ τῷ οὐ μὴ ἀκοντὶ ὀπηδεῖ
Αἴδιος τιμὴ, ἐν ἑδανόν τε γέρας.

Ταῦτα
εἰς συγχαιροσύνης σύμβολον ἔγραψεν,
JOHANNES **Brandtſtetter** / Phil. Cand. in Ill. Stip.

XVI.

ὋΣ κατὰ τὴν σπουδὴν τιμὰς νίκης προκαλεῖται,
Ἠδὲ ἄνευ δόξης μὴ στεφανοῦσθ᾽ ἐθέλει.
Τοῦτον πρὶν νεικεῖν, σπουδάζειν πρόσθεν ἀνάγκη.
Τοῖο ἄπερ καμάτου δώσεται μὴ στέφανος.
Εὖγε ἄρ᾽ οὖν θυμοῦ, φίλε εὖγε πόνοιο φιλέργου,
Μήτ᾽ ἀπόρει, δόξαν, καὶ μόγος αἶψα φέρῃ.

φιλίας ἕνεκα appoſuit
JOH. CONRADUS **Schwartz** / Phil. Cand. in Ill. Stip.

F I N I S.

1037.8
99 956899